

**A** Denique ultra hunc est alius communissimus omniumque postremus, ob quem tota natura agit, nempe ipse natura auctor & parens, Deus. Quod *D. Dionysius c. 4. de divinis nominibus, Trismegistus in Pimand. Plato in Timæo, & 4. legum, & in Epist. ad Dionysium, auctor libri de mundo ad Alexandrum, Aristoteles loco Metaphysic. citato*, alique complures; idemque testantur sacra pagina oracula, cum Deum absolute principium & finem vocant. *Apocalyp. ultimo, Ego sum a & o, principium & finis.* Hac de re *D. August. in Ench. & lib. 1. de doctrina Christ. cap. 23. D. Th. 3. contra Gent. a cap. 27. & part. 9. 103. art. 2.*

**B** Porro dicitur & natura dum agit in Deum, ut in finem contendere, quia divinam perfectionem imitando adumbrat, quatenus agendo sit alterius rei causa, sicuti & Deus omnium causa est. Deinde quia operando respicit in aliquid bonum, quod necessarîo participatio quædam summi boni est. Item quia appetitus semper quatit aliquid extremum, in quo quiescat, quod non est aliud quam finis ultimus, id est, Deus. Postremo quia ordo in finibus sequitur ordinem agentium. Quare sicuti agentia secundaria nihil absque influxu primæ causæ efficiunt, ita ad eum nituntur finem, quem primum agens sibi propositum habet: sicque ut agens primum semetipsum tanquam ultimum suorum operum finem interpidat, quia vniuersa propter se operatur; ita in eundem finem secundaria agentia spectant.

**NATURÆ CVM ARTE SIMILITUDO.**

Mitificæ inter se conueniunt pariterque differunt, Ars & Natura.

Conueniunt primò, quia naturæ opera procedunt, sicut opera artis, id est, certa præscriptione, ratis legibus, compositè & ordinate. Quod Philosophos (non eos hic intelligas, qui præter pallium, nihil Philosophi habuere) ad eam mentem excitant, ut intelligerent, faterenturque, res physicas diuinæ artis prouidentia & solertia gubernari, videlicet, quia intuebantur dissimilium rerum, ex quibus vniuersum constat, varietatem in vnum ordinem conuenire, & compositione (quod artis proprium est) contineri. Vnde naturam artem Dei, & Deum *Aristot. 2. 2. 1. id est, optimum artificem dixerunt: & Plato duplicem artem posuit, vnam diuinam, humanam alteram: atque humanæ omnia, quæ artificum opera elaborantur; diuinæ vniuersa, quæ natura sunt, attribuit.*

Secundò conueniunt: quia sicuti agens naturale effectum produci sibi cognatum, ac similem ratione formæ ex qua ipsum constat: ita artifex opus effingit, intelligibili formæ suæ exemplari à se concepto proportionem respondens. Sic verò ut formæ naturales habent primo esse in agente, in quo potestate continentur, quod virtuale nuncupatur; deinde in materia, quam idemet agens apparat: ita arte factorum formæ obtinent primo esse in mente artificis, quod idæale dicitur; postea verò in materia, quam idem artifex percolit:

Tertiò; Quia sicuti ars naturam, ita natura Deum supponit. Id est, quemadmodum ars nihil efficit nisi suppediat sibi composito Physico, in quo artificiosam formam concinet: ita natura nihil gignit nisi præiacente materia à Deo creata, in qua naturalem formam inducit. Sicque per hos gradus res in lucem exeunt: Deus profert è nihilo; natura ex ente potentia; ars ex ente perfectio: Deus creando; natura generando; ars componendo conueniunt adoue.

**D** Quarto; Quia tam ars quam natura, sensim proficit, & ab imperfectioribus ad perfectiora incedit. Ars enim, verbi gratia, pictoris, primo susceptum opus leniter adumbrat; tum in omnem colorum varietatem paulatim conformat ac tandem perficit: & canendi ars musicos, priusquam ad rem veniant proludere nonnihil iubet. Natura item, exempli causa, in effingendo fetu (quod in cæteris etiam suo modo seruare consuevit) initio rude quid sine membrorum distinctione exhibet, tum sensim expolitur, donec animal perfectissimum in decentem speciem statò tempore aboluat. Sic intellege quod scripsit *Aristos. in problematis sect. 10. probl. 44.* naturam facere præuè omnia, & plura præuè, quam recta, videlicet quia in procreatione animantium (de his enim illic sermo erat) à principio præuè agit, id est, imperfectè, & quasi rudi penicillo; & plura facit præuè quam recta, id est, plura imperfecta & ignobilia. Nam sicuti terrestria, siue aquatilia, verbi gratia, contemplerur, haud dubie multò ampliore multitudinem eorum, quo inferiori gradu stant, inuenimus. Nimirum quia ut vnumquodque excellit magis, ita plura exi-

git, proindeque difficilior & rarius in vitam prodit.

**E** Quinto; quia sicuti natura est mensura artis, ita ars est mensura artefactorum. Et ut natura diuinam artem, ita humana ars naturam, quoad eius fieri potest, amulatur. Quocirca ars diuina exemplar naturæ, & natura diuini archetypi exemplum; simulque exemplar humanæ artis dicitur; & à quibusdam etiam ars humana, nunc altera natura, nunc naturæ finis appellari consuevit, utpote quæ ex natura multa effinxerit; ut ex vmbra picturam, ex antris ædes, ex auium volatua vela, ex piscium pinnis remos, ex cauda gubernaculum. Sanè verò ut natura, quo diuinæ artis præstantiam magis exprimit, eo altiore gradum obtinet: ita ars tanto commendatur amplius quanto ad naturam propius accedit resque veris viciniores imitando exhibet, ut quæ viuentes referunt: spirare ipsa videntur. Quare illud *Martialis lib. 3.*

*Artis Phidiacæ toreuma clarum;*

*Pisces apicis: adde aquam, natantur.*

*Et lib. 5. de Lacerta:*

*Infertaphiala Mentoris manu ducta*

*Lacerta uiuit, & rimetur argenti.*

**F** Hac artis excellentia Zeuxis vvas pinxit, adeò veritate representata, eò ut aues adularint. Hac Apelles Alexandrum Magnum fulmen tenentem expressit, ita ut digiti eminerent, & fulmen extra tabulam esse videretur; tanto operis & famæ successu, ut vulgò dicerent duos esse Alexandros, vnum Philippi filium, nullis vitibus superabilem; alterum opus Apellis, nulla arte imitabilem.

Sed illud hic quoque obiter aduerte, res cætas non solum diuinam artem amulari; sed vnamquamque earum aliam se perfectiorem pro suo capto exprimere: Nam terra v. g. animalis speciem præ se fert, quod habeat subterfluentes aquas; tanquam venas, faxeos montes pro ossibus, plantas & herbas velut capillos, ut præter alios tradit auctor operis de diuina sapientia secundum *Ægyptios, lib. 8. c. 2.* Et vniuersum inferiora corpora ad caelestium rationem sese, ut possunt, accommodant; *refle Arist. 9. Metaph. c. 9. tex. 18.* videlicet, quia ut caelestia iugi motu circumeunt, ita sublunaria quasi in orbem perpetuo oriuntur & occidunt; & ut stellæ errantes nunc magis nunc minus ad nos accedunt; iam in subcaelesti mundo alia atque alia rerum facies & vicissitudo, secundum quadripartitam anni varietatem conspiciunt. Quin & ipsi etiam caelestes globi alias diuiniore causas imitantur, nimirum intellectuales substantias, quatenus ut hæ intelligendo ad alia procedunt, deinde reflexa cognitione in se recurrunt: sic illi ab eodem ad idem punctum perenni agitatione commentantur.

Sextò, quia ut in rebus naturalibus, ita in iis etiam quæ artificioso studio elaborantur, casus locum inuenit: Et in naturalibus quidem multa passim occurrunt exempla: In artefactoris duo quam simillima à scriptoribus celebrantur, quæ, *Plin. lib. 35. naturalis historia commemorat.*

Septimo; quia (ut *Aristot. docet l. 2. Physic. cap. 8. text. 86.* neque natura (sumit autem naturam, prout ab anima intellectrici distinguitur) neque ars deliberat: quod tamen non de quauis arte intelligi debet, siquidem medicina, nauigatoria, & mille id genus, deliberant: sed ut *Arist. ipse 3. Ethicorum c. 3.* explicat, de iis, quæ per cetera & statuta media finem attingunt cuiusmodi est ars saltandi, & effingendi litteras. Quod hisce verbis *Themistius* quoque edisserit, non consultat faber lignarius, vtrum prius secundum sit, an dolandum; nec Grammaticus, quemadmodum litterarum elementa scribenda sint; hoc est **A**, aut **B**. Nec verò, cum *Cleonem* scribit, cogitat, ut **H** primam, quam secundam litteram collocet: artificior etiam non consultat, vtrum iacienda primo fundamenta sint, an parietes construendi an rectum apponendum. Eodem modo textor & lapicida; dum suo officio funguntur, non consultant: sed habet sibi quisque suum certum finitumque opus, nec ordinem ad finem propositum pertinentem ignorat.

**NATURÆ CVM ARTE DISSIMILITUDO**

Differunt quoque ars & natura multifariam. Primo, quia ars non efformat veras res, ut veram arborem, sed veri imitatrix, & ut quidam rectè ait, verè falsa dum veris ludit coloribus, ad veri speciem referendam ex arte collocatis. Atque hinc est, quod picturas vigilantium in somnia nonnulli appellauerunt, quod in illis non res ipsæ, quoad esse proprium sed retrunduntaxat imagines se ostendant